



§. I.



Equar in enarrandis Hassiæ nostræ eruditissimis Principibus temporis, quo se invicem subsecuti sunt, seriem, discretis tamen duabus Lineis principalibus, in quas à Philippo Magnanimo Serenissima domus abiit. Illius, CASSELLANÆ, caput constitui *Guilielmum* Sapientem; hujus verò DARMSTADINÆ *Georgium* Pium in vulgus notum est.

§. II.

Primus igitur in CASSELLANA Linea se nobis offert eruditorum Principum velut Coryphæus, ipse *GUILLIELMUS*, dictus *Sapiens*, natus d. 24. Jun. A. 1531. Patre, ut dictum Philippo Magnanimo, Matre vero Christina, Saxonica. Denatus d. 17. Aug. A. 1581. Prima ejus ætas pene rudis fuit, idq; culpa sceminarum, apud quas educabatur in gynæceo, quæ ubi mores illius quasi semper meditabundi observassent, à gravioribus studiis arcendū opinabantur, ne forte idem accidat, quod Patris ejus